

Theorema 24. Propositio 24.

Si latus Octaedri potuerit maius, & minus segmentum rectæ lineæ extrema, ac media ratione sectæ; poterit latus Icosaedri in eadem sphaera descripti, duplum minoris segmenti.

Theorema 25. Propositio 25.

Si recta linea diuisa extrema ac media ratione cum minore segmento angulum rectum constituat, cui recta subtendatur: Erit recta linea, quæ potentia sit sub dupla ipsius rectæ subtensæ, latus Octaedri eius sphaeræ, in qua dictum minus segmentum latus existit dodecaedri.

Theorema 26. Propositio 26.

Si latus Tetraedri possit maius, & minus segmentum lineæ rectæ extrema ac media ratione sectæ: latus Icosaedri eidem sphaeræ inscripti potentia sesquialterum est minoris segmenti.

Theorema 27. Propositio 27.

Cubus ad Octaedrum in eadem cum ipso sphaera descriptum, est, vt superficies cubui ad Octaedri superficiem: Item vt latus cubui ad semidiametrum sphaeræ.

Theorema 28. Propositio 28.

Si sint quatuor lineæ rectæ continuæ proportionalis, nec non & alia quatuor, ita vt sit eadem antecedens omnium: Erit proportio tertiæ ad tertiam proportionis secundæ ad se-